



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 51. ad 75

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1762

VD18 15558428-001

Psalmus LXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53344)

audivit, & nobis nuntiet, hæc sunt: unum, quòd potentia, & misericordia in Deo sint; illa ut timeatur, ista ut ametur: alterum, quòd reddet unicuique &c., ita ut neque injustè oppressurus sit aliquos per potentiam, nec misericordia ejus sit præjudicatura justitiæ. Et verè, qui ista duo seriò cogitant, atque illis cor suum apponunt, sapientissimi sunt.

PSALMUS LXII.

Titulus: *Psalmus David, cùm esset in deserto Idumææ.*

Non legitur David latuisse in deserto Idumææ, sed Judææ, Reg. 22. & 23.; non est tamen contemnenda lectio vulgata editionis, quam etiam tenent Hilar. Hieron. & Aug. nam probabilius videtur desertum Judææ vocatum esse desertum Idumææ amplificandi gratiâ: quo modo Jerusalem aliquando vocatur Sodoma.

Argumentum est oratio Davidis, qui occasione deserti, in quo tunc latebat, deplorat peregrinationem suam, & sibi similium justorum, & desiderium suum ostendit migrandi aliquando ex deserto mundi hujus ad patriam celestem.

ψ. 1. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*

ψ. 2. *Sitivit in te anima mea; quàm multipliciter tibi caro mea?*

*Describit vir justus prima sua diei opera. Tu
Deus*

Deus es robur meum : cum primùm video lucem oculis meis, aperio etiam oculos mentis ad te lucem spiritualem, & ad te quærendum vigilare incipio. Id verò facio, quia anima mea desiderat te, ut cibum, & potum suum, ut lumen, & lætitiâ suam. Ipsa etiam caro mea multis modis sitivit ad te, seu indiget misericordiâ tuâ ob multiplices suas miseras. Sic terra dicitur sitire pluviâ, sinè quâ nihil boni producere potest.

ψ. 3. *In terra deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.*

Describit tres proprietates deserti : terra deserta ab hominibus ; invia, seu inaccessa, per quam difficulter ambulari potest ; sinè aquâ, & ideo arida, ac sterilis. Ego in hoc deserto constitutus, animo conscendi ad sanctuarium tuum Cæleste, ut meditarer potentiam tuam, quâ de nihilo omnia fecisti ; & gloriam tuam, quâ nihil est simile tibi. Verè carentia terrenorum homini utilis est ad quærendum Deum.

ψ. 4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.*

Non solùm meditabor virtutem, & gloriam tuam, sed & laudabunt te assiduè labia mea, quoniam misericordia tua melior est mihi præ ipsâ vitâ : hæc vitam dedit, conservat, & si vitam
prop.

propter te perdidero, illa felicioram reddet; & si vitæ causâ te offendero, & vitæ, & misericordiæ jacturam faciam.

ψ. 5. *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas.*

Sic laudando assiduè, benedicam tibi in omni tempore, quidquid mihi acciderit, sive prosperum, sive adversum: invocando nomen tuum levabo in oratione manus meas, à te solo expectans opem in adversis.

ψ. 6. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.*

Hoc scilicet in oratione peto, ut anima mea repleatur gratiâ spirituali, quæ est quasi adeps, & pinguedo. Qui adipe bonâ, & pinguedine naturali præditi sunt, non autem inflati; sani sunt, fortes, rubicundi, hilares: sic pleni spiritu sunt devoti, ferventes, ac semper gaudentes; & qui eo carent, spiritalia nauseant, acediâ consumuntur, infirmi, ac debiles nihil boni facere, nihil mali tolerare valent. Et tunc labiis exultationem resonantibus laudabo Deum; quod rectè de patriâ intelligitur, ubi orationi, quâ nunc assiduâ egemus, succedet laudatio, cum Deus erit omnia in omnibus.

ψ. 7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.*

Osten-

Ostendit, in hâc etiam vitâ se perpetuò recordaturum Dei, & beneficiorum ejus. Si de nocte, dum adhuc jacerem super stratum meum, multò magis interdiu, atque adeò summo mane, h. e. semper de te cogitabo, & considerabo potentiam, ac gloriam tuam, quia tu auxiliando semper recordatus es meî.

ψ. 8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhesit anima mea post te, me suscepit dextera tua.*

Quia dixerat, tu fuisti adjutor meus, ne putaretur jam securus, nec de Dei protectione ampliùs laborare, dicit: continebo me sub umbrâ alarum tuarum, & in protectione tuâ sperans, *exultabo*, securus à Milvo, dum sub Omnipotentis Aquilæ pennis latebo. Ex hâc protectione provocata anima mea, vestigiis tuis inhaesit, ex charitate servando mandata tua, ab illis nullâ tentationum vi separari se patiens. Ne videatur adhaesionem illam sibi tribuere, subdit: *me suscepit dextera tua*; h. e. ideo te sequor, quia tu me traxisti: ideo te diligo, quia tu prior dilexisti me, & ut diligerem te, tu me diligendo, fecisti.

ψ. 9. *Ipsi verò in vanum quaesierunt animam meam, introibunt in inferiora terra, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

Jam prædicit interitum eorum, qui justos per-

persequuntur. Ipsi, impii, frustra conati sunt me interficere : nam finis illorum erat, ut ipsi soli terram possiderent, & ejus deliciis fruerentur ; sed à terrâ absorpti, in inferno erunt, tradendi in potestatem tormentorum, sinè fine in eos desævientium : nec dominabuntur amplius super homines, sed ipsi subjecti erunt dæmonibus injustis. Dæmones vocantur vulpes, quia versutiâ vulpinâ homines capiunt, & sibi subjiunt.

ψ. 10. *Rex verò letabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstruetum est os loquentium iniqua.*

Ecce quomodo omnino in vanum impii laboraverunt : nam non solum ipsi non consequentur bona, quæ optabant ; sed nec poterunt justos bonis suis privare. Nam Rex ipsorum Christus vivet, & regnabit, & *letabitur in Deo*, sedens in dexterâ Patris gloriosus ; & laudabuntur omnes, qui non obstantibus persecutionibus, eum tanquam verum Deum religiosè colunt, & illi fidelem obedientiam jurant : nam obstruetur in die judicii os eorum, qui nunc blasphemant, maledicunt, calumniantur &c.

PSALMUS LXIII.

Titulus, & Argumentum : *In finem, Psalmus David.*

Hunc Psalmum de solo Davide aliqui explicant,